



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LIBRI || OFFICIALIS || SIVE AGENDAE S.|| TREVERENSIS
ECCLESIAE PARS || POSTERIOR, IN QVA IAM PRIDEM
RECEPTI ET || longa consuetudine confirmati
Catholico-||rum ritus, quasi in vnum corpus ...**

Jakob <III., Trier, Erzbischof>

Trevorum, 1576

VD16 ZV 206

Exorcismus Dæmoniacorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75472)

ORATIO.

ROgo te dulcissime Deus, vt mors tua amarissima, passio omnium membrorum tuorum mortificet in omnibus membris meis omnia mala, quæ impediunt fructum passionis tuæ. Et viam spiritualem mihi in præsentem concedat. & æternam in futuro tribuat. Peto etiam Domine, vt quotidie os meum aperire digneris, & aquas gratiæ de latere tuo mihi haurire concedas, & illum potum mihi propines ad quem inuitasti fideles sitientes cum dixisti: Si quis sitit, veniat & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. Respice ergo Pater sanctissime de excelso cælorum habitaculo faciem Christi filij tui: & suscipe illud holocaustum suavissimi odoris, & accepta hanc hostiam quæ offert tibi summus Pontifex noster Iesus Christus pro peccatis meis. Et esto mihi placabilis in præsentem per gratiam, & in futuro per gloriam. Amen.

EXORCISMVS DÆMONIACORVM.

QVia etiam ad officium sacerdotum spectat, & pertinet vexatis a dæmonibus per sibi ab Ecclesia traditam potestatem, quantum in se est, per diuinam gratiam manus imponere, & dæmones, tam Christianos baptizatos quàm Catethumenos vexantes adiurare, exorzizare, & expellere de eorum corporibus: subsequenter ponitur in calce huius operis exorcismus sanctorum: quæ cum puritate conscientiæ, & magna humilitate legere debent, nihil sibi; sed omnia Dei virtuti & Ecclesiasticæ potestati attribuendo.

Instructio

*Instructio Exorcistæ volentis expellere dæ-
mones a maleficiis vel dæmoniacis.*

EXorcista ordinatus, volens expellere dæmones, per potestatem sibi traditam; primo conscientiam suam mundet per humilem, & legitimam confessionem suorum peccatorum. Bonum esset etiam triduanum præmittere ieiunium, orationes & sacrificium Missiæ ad idem sæliciter præstandum adhibere. Porro exorcizare potest parochialis, aut etiam diaconus: si sibi fuerit commissum per Episcopum vel presbyterum. quâquam, & purus Exorcista possit. Melius est autem exorcizare in Ecclesia quam extra. Si sacerdos vel diaconus exorcizant, debent habere super albam vel superpelliceum, stolam. Si vero subdiaconus manipulum, si acolytus vel exorcista, superpelliceum tantum. Dum vero exorcismus legitur, semper habeantur Reliquiæ sanctorum, & teneantur ante os dæmoniaci, vel maleficiati.

EXorcizaturus, igitur facta diligenti confessione, & habita absolutione, indutus sacris vestibus pro sui ordinis qualitate, seipsum corde humilians, & peccatorem reputans, nec in sua, sed Domini potetia confidens deuote, attente, constanter, fidenter, & intrepide faciens sibi signum crucis in sua fronte ter hæc dicens, **In nomine Pa- tris & Fi- lij & spiritus sancti R. Amen.** Ponat manum suam super caput dæmoniaci, & eam continuo tenens, humiliter dicat non solum verbotenus, & superficialiter; sed cum bona fide sequentem exorcismum Nulla autem leuitate ductus sed sola necessitatis vel Charitatis causa, hæc re disponat & præmisso triu dieru ieiunio, & oratione vt dictu est tertio
mane

Dæmoniacorum. 369

mane diligenter cū contritione confessus, Missam de spiritu sancto deuotissime celebret, faciendo in ipsa Missa cōmemorationem per infrascriptas orationes:

ORATIO.

O Remus. DEUS qui per vnigenitum tuum exclusa dominatione diaboli, populum tibi fidelem aptasti: expelle quæsumus a famulo tuo **N.** cunctas diabolicæ illusionis insidias, & eum illibatum ab omni eius impugnatione conserua. Per eundem. &c.

Secreta.

O Remus. Munus Domine humilitatis nostræ pro petitione famuli tui **N.** oblatum petimus, vt grateranter assumas; & ab eius oppressione hostis maligni insidias omnemq; potestatem benignus excludas. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium. &c.

Post Communionem.

O Remus. Cœlestis panis, quem sumpsimus Domine, & nobis indulgentiam tribuat, & famulum tuum **N.** ab antiqui hostis irrisione defendat. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuū qui tecum uiuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus. per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Completa Missa sacerdos non exuat se, sed sit indutus missalibus indumentis: candelam benedictam accensam in manu tenens, stet in medio ante altare: facie versa ad populum: habens obsessum ante pedes ligatū, (si necesse fuerit) & humili corde deuotoq; aspectu, se & astates munit signo crucis alta voce dicens.

In nomine

Exorcismus

In nomine Pa * tris & Fi * lij, & Spiritus * Sancti
 Amē. **Vers.** Domine exaudi orationē meā. **Respo.**
 Et clamor meus ad te veniat. **Versic.** Dominus vobif-
 cum. **Respon.** Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

Oremus. Omnipotens Domine verbū Dei Patris,
 Christe Iesu, Deus & Domine vniuersæ Creaturæ,
 qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi
 super serpentes & scorpiones, qui inter cætera mirabi-
 lium tuorum opera dignatus es dicere; demones ef-
 fugate: cuius virtute victus tanquam fulgur de cælo
 satanas cecidit: tuum nomen cum pauore & tremore
 supplex deprecor, vt mihi indignissimo, data venia pec-
 catorum, confidentiam & possibilitatem donare dig-
 neris: vt hunc crudelem draconem brachij tui muni-
 tus potentia, fideliter & securus aggrediar. Qui viuus
 & regnas cum eodem patre, in vnitæte spiritus sancti
 Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

**Hac oratione completa aspergat oblectum aqua
 benedicta in modum crucis dicendo.**

In nomine Pa * tris & Fi * lij & Spiritus * sancti
 Amen. **Versic.** Domine exaudi orationem meam.
Respon. Et clamor meus ad te veniat. **Versic.** Domi-
 nus vobiscum. **Respon.** Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

Oremus. Omnipotens sempiternæ Deus à cuius fa-
 cie cæli distillant, montes sicut cera liquefcunt,
 terra tremat; cui patent abyssi, quem infernus pauescit,
 quem omnis terrarum motus aspicit; humiliter te
 supplex deprecor, dominator Domine: vt inuocatio-
 ne nomi-

ominon a

Demoniacorum.

371

ne nominis tui, ab huius famuli tui. **N.** vexatione anima liberata, ad auctorem suæ salutis recurrat, liberatoremq; suum diabolico depulso fatore; & odore suauissimo spiritus sancti percepto, sequatur Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum uiuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO.

O Remus. Domine sancte pater omnipotens eterne Deus, virtutem tuam totis exoro gemitibus, pro huius famuli tui. **N.** a diabolo oppressa infantia: qui etiam indignis interpressuras, præsidium donas: exurge pro huius infantia bellata, & noli diu retinere vindictam, qui nec ante conspectum parentis permisisti filium iudicari, auxiliare quæsum⁹ inimici furore vexato; nec sine gratia facias eius animam a diabolo possideri, sed potius a maligni oppressionibus liberata, tibi referat gratias sempiternas, per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem. Amen.

ORATIO.

O Remus. Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, inuoco nomen tuum ac Præclaræ Maiestatis tuæ clementiam supplex exposco: vt mihi auxilium prestare digneris, aduersus hunc nequissimum spiritum, Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum uiuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Exorci-

EXorcizo te omnis immundissime spiritus, omnis incurfio aduerfarij, omnis ira, omne Phantasma, omnis legio, In nomine Domini nostri Iesu Christi, eradicare & explantare & effugare ab hoc Phantasmate Dei: ipse tibi imperat diabole, qui ventis & mari imperavit & tempeftatibus. Ipse tibi imperat: qui te de fupernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit.

Hic petit facerdos nomen spiritus, & præcipit ei hoc modo dicens.

Præcipio tibi, quicumq; es spiritus immunde, in hoc corpore, per merita gloriofæ paffionis, refurrexionis, & afcenfionis Domini nostri IESU Christi, per miffionem fpiritus fanxcti, & per aduentû eius; vt oftendas, & dicas mihi nomen tuum, diem & horam exitus tui, cum figno extinctionis luminis. Iterum præcipio tibi per merita gloriofæ virginis Mariæ Matris Dei, fanxcti Zenonis, Sanxcti Ambrofij & Sanxcti Geminiani, Sanxcti Petri Martyris, & Sanxctæ Catharinę de Senis & omnium fanxctorû, & fanxctarû Dei: vt oftendas & dicas mihi nomen tuum, & diem & horam exitus tui cû figno extinctionis luminis. Iterum præcipio tibi fub pœna excommunicationis maioris & minoris: & auctoritate Beatorum Apoftolorum Petri & Pauli; & aliorum fuccefforum Beatiffimi Petri Apoftoli, vt oftendas & dicas mihi nomen tuum, & diem & horam exitus tui, cum figno extinctionis luminis. *Et fi refpondent quod plures fint: tunc in plurali profequere coniuurationē*

iurationem, & præceptum supradictum: Si vero non responderit, vel responderit se esse solum, tunc prosequere in singulari ut prius.

AVdi ergo maledicte sathana; audi & time, victus & prostratus abscede * In nomine Domini nostri Iesu * Christi. Tu ergo nequissime sathana, inimice fidei: aduersarie generis humani, mortis adductor: vitæ raptor, iustitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum, dæmonum magister; quid stas & resistis, cum scias eum tuas perdere vires? Illum metue qui in Isaac immolatus est, in Ioseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator extitit gloriosus. Recede **In fronte obsessi cruces effingat** In nomine pa * tris & Fi * lij & spiritus * sancti, & da locum spiritui sancto, & per hoc signū cru * cis Domini nostri Iesu * Christi. Qui cum eodem Patre in vnitate eiusdem spiritus sancti viuit & regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Versic. Dominus vobiscū. **Respon.** Et cū spiritu tuo.

ORATIO.

ORemus. Deus conditor & defensor humani generis, qui hominem ad imaginem, & similitudinē tuam formasti, respice super hunc famulum tuum **N.** qui dolis inuidi serpentis appetitur, quem vetus aduersarius, hostis antiquus tetra formidinis horrore circūuolat, & sensum mentis humanæ stupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Re-

I i pelle

pelle Domine virtutem diaboli, fallacesq; infidias eius amoue. Procul impius tentator aufugiat, sit nominis tui sig * no **In fronte rursus efformet crucē** famul⁹ tu⁹ & anima tutus & corpore **In pectore** Tu pecc * toris huius interna custodias, Tu vis * cera regas, Tu cor * confirmes, In anima aduēfatrix potestatis tentamenta euanescant. Da ad hanc inuocationem nominis tui gloriam, vt qui hucusque terreat, territus aufugiat, & victus abscedat: tibiq; possit hic famulus tuus & corde firmatus & mente sincerus debitum præbere famulatum. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum qui tecum viuit & regnat in vnitāte eiusdem spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum, **Respon.** Amen.

Versic. Dominus vobiscum. **Respo.** Et cū spiritu tuo.

ORATIO.

O Remus. Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, Osanna in exelsis, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam tyrannum gehennę ignibus deputasti, quiq; vnigenitum tuum in hunc mundum misisti, vt illum rugientem contereret, velociter attende; accelera; vt eruas hominem ad imaginem & similitudinem tuam creatum a ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem super bestiam quæ exterminat vineam tuam, da fiduciam Domine seruis tuis contra nequissimum draconem fortissime stare. Non contemnat, Domine, sperantes inte, & de tua misericordia præsumētes, nec dicat sicut in Pharaone iam dixit, Deum nō noui, & Israhel non dimittam. Vrgeat illum

illum Domine dextera tua potens, discedere a famulo tuo **N.** ne diutius præsumat captiuum tenere hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum qui tecum viuit & regnat in vnitæte spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hic interroga de nomine vt supra & præcipe. Si vero non dicat nomen dæmonis vel dæmoniorum, qui opprimunt corpus obsessi, dic in aure obsessi ter hunc versum.

Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Tunc siue responderis siue nõ, fideliter & sine intermissione prosequere coniurationem.

Coniuratio.

A Diuro te serpens antique, per iudicem viuorum & mortuorum; per factorem mundi, per eum qui habet potestatem mittere te in gehennam: vt ab hoc famulo Dei, **N.** qui ad Ecclesiæ suæ currit præsidia festinus discedas. Adiuro te non per meam infirmitatē, sed per virtutem spiritus sancti; vt ex eas ab hoc famulo Dei, **N.** quē Dominus Iesus Christus fecit ad imaginem & similitudinem suam. Cede, cede non mihi sed ministro Christi. Illius enim te vrgeat potestas qui te affixus **In fronte** cruci, suo subiugauit imperio; Illius brachium contremisce, qui de cunctis gemitibus inferni animas iustorum, ad lucem produxit. Sit tibi terror corpus hominis, sitq; tibi terror imago Dei, nec
 I i 2 resistas,

resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quia
 complacuit Deo, ut in homine habitaret. Et ne me in-
 firmiſſimum contemnendum putes dum me pec-
 catorem eſſe cognoſcis. Imperat tibi Deus ✠. Im-
 perat tibi maiestas Chriſti ✠. Imperat tibi Deus Pater
 ✠. Imperat tibi Filius ✠. Imperat tibi ſpiritus ſanctus ✠.
 Imperat tibi fides Apoſtolorum Petri & Pauli, & cæ-
 terorum Apoſtolorum ✠. Imperat tibi ſanguis Martyrum
 ✠. Imperat tibi Sacramentum **In fronte** Crucis ✠. Im-
 perat tibi myſteriorum Virtus ✠. Imperat tibi Ieſus Na-
 zarenus ✠. Imperat tibi Verbum caro factum ✠. Exi
 tranſgreſſor, exi ſeducator, plene omni dolo & fallacia,
 veritatis inimice. Da locum duriffime, da locum im-
 piſſime, da locum Chriſto in quo nihil inueniſti de o-
 peribus tuis nefandis, qui te expoliauit, qui regnum
 tuum deſtruxit, qui te victum ligauit, & vaſa tua diri-
 puit, qui te proiecit in tenebras exteriores. Vbi tibi cum
 miniſtris tuis erit preparatus interitus. Sed quid trucu-
 lente recogitas? temerarie retractas? reus omnipotentis
 Deo cuius ſtatuta tranſgreſſus es, reus Ieſu Chriſto Fi-
 lio eius, quem temerarie auſus es tentare & crucifige-
 re preſumpſiſti, reus humano generi, cui tuis perſuaſi-
 onibus mortis fructum propinaſti. Adiuro te itaque draco-
 nequiſſime, in nomine agni immaculati, qui ambulat
 ſuper aſpidem & baſiliſcum, qui conculcat leonem &
 draconem, ut diſcedas ab homine isto, diſcedas ab Ec-
 cleſia Dei. Contremiſce & fuge in uocato nomine illi-
 us, quem inferni tremunt, cui virtutes coelorum, &
 poteſtates ſubiectæ ſunt: quem Cherubin & Seraphin
 indefeſſis

indefessis vocibus laudant, dicentes Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth. Imperat tibi Iesus Nazareus, qui te cum discipulos eius contemneres elisum & prostratum exire iussit ex homine. Quo præsente cum te ab homine sepataffet, nec porcorum gregem præsumebas contingere. Recede ergo nunc adiuratus in nomine eius ✠ **In fronte** ab homine isto quem ipse plasmavit. Durum est tibi Christo velle resistere. Durum est tibi contra stimulū calcitrare, quia quanto tardius exis, tanto magis tibi supplicium crescit, quia non hominem contemnis, sed illum qui est dominator viuorum, & mortuorum. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Respon. Amen.

Sadhuc non recesserit spiritus malignus, aut superior non responderit. præcipe vt supra. Item interroga qua causa venit, & quare opprimit eum. Interroga etiã si sint alij spiritus opprimentes, & quot, & omnes eijciantur. Esto prudens & circumspectus in orationibus ne decipiaris, magis stude cū humilitate mentis, quæ ad talia est necessaria liberare creaturam Dei, quam loqui cum dæmonibus, vel cum aliquo eorum sicut fecerunt sancti. Demum factis interrogationibus si non recesserit, siue responderit sine non, prosequere confidenter coniurationem sequentem.

Coniuratio.

ADiuro te omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incurfio satanæ, in nomine

I i 3 Ie ✠ su

Ie ✠ su Christi Nazareni, qui post lauacrum Jordanis
 in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vicit. vtque
 ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formauit, tu
 desinas impugnare, & in homine miserabili non hu-
 manā fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei
 contremiscas, Cede ✠ ergo Deo, qui te, humiliato
 famulo suo Iob, in seruitutem redegit, Cede ✠ Deo,
 qui te per Daniele puei um suum perdidit & draco-
 nem prostrauit. Cede ✠ Deo, qui te per fidelissimum
 seruū suum David, de rege Saule spiritualibus cantitis
 pulsum fugauit: Cede ✠ Deo, qui te per malitiam in
 Pharaone & eius exercitu per Moysen seruum suum in
 abyssū dimerisit. Cede ✠ Deo, qui te in Iuda Scarioth
 proditore damnauit. Ille enim te diuinis angit ver-
 beribus, in cuius conspectu cum tuis legionibus tre-
 mēs & clamans dixisti, Quid nobis & tibi Iesu fili Dei:
 venisti ante tempus torquere nos? Ille te flammis per-
 petuis vrget: qui in fine temporum dicturus est impijs:
 Ite maledicti in ignem aeternum, quem præparauit Pa-
 ter meus diabolo & angelis eius. Tibi enim, impie, &
 angelis tuis, vermes erunt qui nunq; morientur. Tibi
 enim & angelis tuis inextinguibile præparatur incen-
 diū, quia tu es princeps maledicti homicidij, tu auctor
 incestus, tu sacrilegorum caput, tu artium pessimarum
 magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obsceni-
 tatis inuentor. Exi ✠ ergo impie, Exi ✠ scelerate,
 Exi ✠ cū omni fallaciā tua, quia (In ✠ fronte) hominē
 templum suum voluit esse Deus. Sed quid diutius
 moraris

moraris hic : Da honorem Deo * Patri omnipo-
 tenti, cui omne genu flectitur. Da locum Domino
 Iesu * Christo, qui pro homine sanguinem suum sa-
 cratissimum fudit. Da locum Spiritui * sancto, qui
 per beatum apostolum suum Petrum manifestè te
 strauit in Simone Mago; qui fallaciam tuam in Ana-
 sia & Saphyra condemnauit: qui te in Herode rege,
 honorem non Deo dante, percussit: qui te in Elyma
 Mago per apostolum suum Paulum cæcitatæ cali-
 gine perdidit, & per eundem de pythoussa verbo impe-
 rans exire præcepit. Discede erge nunc * discede se-
 ductor * Tibi heremus sedes est, tibi habitatio fer-
 pens est: humiliare & prosternere. Iam non est diffe-
 rendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximi-
 mat cito & ignis ardebit ante ipsum & præcedet, & in-
 flāmabit in circuitu inimicos suos. Si enim homines
 fallis, Deum non poteris irridere. Ille te eijcit cuius
 oculis nihil occultum est. Ille te expellit, cuius virtuti
 vniuersa subiecta sunt. Ille te excludit, qui tibi &
 angelis tuis præparauit æternam gehennam, de
 cuius ore exiet gladius bis acutus. Qui ven-
 turus est iudicare viuos & mortuos
 & sæculum per ignem. *Respo.*

A M E N.

I i 4 Si adhuc



Si adhuc his dictis fatigatur oppressus, tunc prosequere & dic, **Versic.** Domine exaudi orationem meam. **Resp.** Et clamor meus ad te veniat. **Versic.** Dominus vobiscum. **Respo.** Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

Oremus. Omnipotens sempiternus Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi te suppliciter deprecamur, ut imperes diabolo qui hunc famulum tuum **N.** detinet, ut ab eo discedat: & libera eum qui credit in verum liberatorem Dominum nostrum Iesum Christum ut purgatus ab omni labe iniquitatis, maiestati tue pure mente deseruiat. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum. &c **Respon.** Amen.

His expletis si spiritus immundus non recesserit reincipiendum est ab illo loco supra in hoc exorcismo, ubi sic habetur. Omnipotens sempiternus Deus a cuius facie &c. Et ordine predicto proseguendum est usque ad finem; Nec propter hoc exorcista diffidat, quia sepe probatum est quod multiplicatus in duobus vel tribus diebus, adepta est victoria qua vna tantum vice non potuit obtineri.

Nota predictum exorcismum ad viros accommodatum, Vnde si femina fuerit, a qua diabolus expellendus esset, genus masculinum in foemininum mutetur. Idem supra, in orationibus supra infirmos faciendis obserua.

FINIS.

